

XLVI

RECTOR

ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ,

SAMUEL

SCARLACHIVS,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ

DOCTOR, PHYSICUS PROFESSOR

PUBLICUS,

AD

JUSTA FUNEBRIA LUCTUOSA,

QUÆ

Juveni ornatissimo doctissimoque,

DOMINO,

SALOMONI RAUPACH,

Lignitio - Silesio,

NUPERRIME

Glandibus bombardæ Vulcaniis

miserabiliter

Ante diem in Libitinæ censum relato

Ad d.

A. C.

∞ B. C. XVIII.

facienda.

Curâ & acerbo officio

fratris mastissimi,

CIVES

Jura Academici fori recognoscentes

invitat.

Typis FRIDERICI HARTMANNI, Bibliopolæ





Damentabiles sunt Ethnicorum & summorum virorum in Ecclesia querelæ de fugacitate vitæ, ærumnis miraque rerum humanarum vicissitudine, quales ex numero infinitis hæ: Omnis caro fænum, & omnis gloria ejus tanquam flos fæni, exaruit fænum & flos ejus decidit, Homini nihil certius morte, nihil incertius hora, quam sententiam posteriorem verissimam Pomponij & Caji, JCorum, omni

exceptione majorum cõplexus est quispiã versiculo observatu dignissimo:

Certa tibi mors est, nihil est incertius hora:

Extremam idcirco quamlibet esse puta.

Terra siquidem marique & tam in pace, quam in bello, tam domi, quam militiæ multis generibus mortis periculum metui potest, teste Paulo, Jurisprudentiæ Rom. summo antistite. Invida & infida Parca, minimè Parca, nulli parcit hominum, unã falce refecat omnes, sive in summum dignitatis fastigium fuerint evecti, sive inferiora premant subtellia. Quod & Horatius omnium Poetarum Latinorum Græcorumq; elaboratissimus advertit, quando cecinit:

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas

Regumq; turres!

Quocirca cum aliqui contemplarentur mortis tum certitudinem, tum vererentur amaritudinem, optarunt sibi secundum Senecam, non Philosophum: sed Sophorum apicem, opt. pessimi Principis Magistrum, *Mori sine metu mortis*. Hujus opinionis fuit C. Julius Cæsar, qui utrum togatâ an bellica virtute præstiterit magis, ambiguum posteris reliquit. Ita enim de ipso Suetonius: Illud planè inter omnes constitit, talem pœnè ei mortem ex sententia contigisse, nam & quondam cum Xenophonem legisset, Cyrum ultima voluntate mandasse, quædam de funere suo, adspernatus tam lentum mortis genus, subitam sibi celeremq; optavit, & pridie quam à Bruto & Cassio viginti tribus vulneribus inflictis occideretur, in sermone super cænam nato apud M. Lepidum, quisnam esset vitæ finis commodissimus, repentinum inopinatumq; prætulit. Cre-

A 2

didit



426443

vidit forte an primus sceptri Imperialis fundator, nihil esse sanitate desiderabilius, nihil morborum frequentius & ferientium tormentis miserabilius. Quantis n. sollicitudinib. divexatū putemus illum, quem immortale sacrosanctarum Pandectarum vel potius Novellarum opus apud altivolantem *Aquilam* annos triginta & octo decubuisse tradit? Nec desunt recentia exempla altiūs rem expendentibus. Verum ut molesta est morborum graviorum diurnitas: Ita & minus exoptanda fati prementis celeritas. Rectè enim Ecclesia subitanam & improvisam mortem deprecatur, ut cū meditatione pia & seria Spiritus *Creatori* suo reddi possit. Et cygnæ illa vox Socratis morituri *δὲ τελευτᾶν ἐν Ἐπιπέδῳ* jubet decedentes ex hac vita emigrare inter pia suspiria, gemitus, & compellationes ad DEUM. Quæ omnia difficulter præstari possunt, si præter spem suam aut expectationem aliorum è consuetudine mortalium quispiam eximitur. Et si autem sint exempla primæ & postremæ aciei innumerabilia virorum varijs mortis generibus celerrimè & deterrimè peremptorum: Tamen nescio an hoc seculo ullum frequentius & pestilentius *Homicidio*. Cottidie enim videmus, loquor cum Clarissimo Claro, etiam ex levissimis causis homines trucidari, quapropter defendenda est hominum conditio, quod cum cætera ejusdem generis animantia inter se non sciant, soli inter se homines insidientur & crudeliter mortem inferant. Cujus certè tanta est atrocitas, ut nullius lingua exprimi, nullius calamo depingi possit. Indeque passim horrenda sacræ scripturæ tonitrua, tremenda oracula Prophetarum divino fulmine armata occurrunt. Nec mirum! Homo enim universi exemplar, mundi epitome, naturæ delitium, Horizon corporeorum & incorporeorum, miraculum magnum, quò respiciens Philo inquit: Qui hominem occidit, homicida vocatur: sed revera sacrilegus est quidem insignis, quippe qui sacrilegium max. perpetravit, sublata è mundo repretiosissima sacratissimaque, quando DEO nihil similius, quàm hoc sigillum pulcherrimum ex matrice ad cœlestis similitudinis figuram, ad exemplar ideæ rationalis effectum. Criminis istius immanissimi effrenatam libidinem non saltem regna barbara: sed & *Christiana* imperia experiuntur, non loca duntaxat Musis minus frequentata: sed etiam quod graviter dolendum, palatia humanitatis, domicilia Musarum in vitis usurpant oculis. Proh DEUM immortalem iterum sacrilegum facinus

cinus factum! Templum Minervæ & Eusebii violatum ad d.ii. Kal. Jul. Cædes in eo facta, nec nisi violatoris satisfactione, prout jura decreverint, expianda! Clarius loquendum, SALOMON RAUPACH Lignicensis Silesius, dicto die horam intra decimam & insequentem viventium numero ereptus, vel potius illi insertus est: heu florentissimæ ætatis studiosus præmaturo fato contra votum humanum evasit, erupit globis ignitis trajectus, cum suorum concivium uni, amicissimo, auctori turbarum, læso accurrere vellet in subsidium, in proprium ruit excidium. notum ipsi ut literato dictum disertissimi Romuli nepotum: Omnes boni alterius defensionem ad officium suum pertinere putant. O horam infelicissimam! ô periodum tristissimam! at ebrius liberius debaccharus est? turbavit dormientum quietem? sententiam de facto non feremus illud occinentes:

Jliacos intra muros peccatur & extra.

Et violentum prima facie huic morbo remedium, quod nec Æsculapius præscripserit; sed potius omnis Ulpianus proscripserit. Vulgatissimum aliàs diæterium: Quemlibet esse fortunæ suæ fabrum & architectum. Quicquid sit: nemo semper suorum adfectuum Dominus. vel potentissimi vel sapientissimi vini vitio aberrarunt. Vera illa Imperatoria vox: in nullo aberrare, sive in omnibus irreprehensibilem, sive in emendabilem esse, divinæ utique solius perseverantiæ, non mortalis constantiæ. Nimis superbè mortalitatem dedignatur, qui peccasse erubescit. Nec quispiam tam Lynceus, tam providus & circumspectus ut nihil offendant, nunquam incurrat, nunquam impingat, exorbitet & à regia via deflectat. Flumina quædam tueri dicuntur aquæ suæ soporem & colorem, licet per media devolvantur maria. Verum homines hanc fecem contrectare non possunt, nisi illa simul contaminentur & conspurcentur. Ac licet computationes belluinæ non probandæ & potissimum has comitantes actiones contumeliosæ detestandæ & averruncandæ: tamen profunda Ebrietas in homine ingenuo, non Ebriositas veniam mereri aliquam videtur, nedum ut irreparabili vitæ damno coercenda sit. Longè aliud innuit Constitutio Imppp. THEODOSII, ARCADII & HONORII. Quod si ex cultello, quo calamos acimus animum dolosum & occidendi propositum Saxones concludant & eum his consentiant quidam primariæ classis auctores, quid sentien-

dum erit de bombardâ plenissima glandibus, quæ numero quinquaginta novem, hominem obvium miserimè perruperunt immixtæ & misero infelicique animam intra spacium ferè momentaneum excusserunt? Tantum etiam magnum excessum in verbalem injuriam effervescentem, nullus Scævola excusarit! Quod si apertè & exsertè causa tantæ calamitatis exprimenda, nulla fuit alia *μεγαλας* *καταστροφης*, quam alicuius meretricius amor, nam cum cive illo, ante cujus domum miserabilis trucidatio accidit, amica fuit studiosorum concordia, nulli antehac ibi tumultus & insultus. at ubi impura illa vulpecula Scholastica, libidinosus ille amatorculus freno pudoris laxato Veneri Cluacinae litaverat, nec facti indignitate multùm moveretur, imò magis magisq; insoleresceret, factum ut res asperior evaderet. Atque quid consistoria libidinum sive publicarum sive privatarum causaverint, testantur historiarum annales. Sed ò crudelem terram, quæ sanguinem humanum ebibit ò crudeliore hominè, qui effudit & scelus scelere cumulavit! Utinã artes Dolonis locū nō habuissent! Utinam sacrum hoc caput non auffugisset!

*O Nemese advoco te Dea, regina maxima
Cuncta videns aspiciens vitam hominum per varias gentes
Æterna, veneranda, sola gaudens justis,
Injustorum ultrix supplicii eos gravans justis
Omnia enim qua mala mente homines committunt
Temerè nimium concupiscentes malis consiliis
Tu sola puniens pœnam sumis ab injustis
Hostis injustorum: benivola autem versaris cum justis.*

Cæterùm Salomoni Raupachio Lignitiū dedit lucem, cunas, crepundia & serperastra A. C. 1599. die 28. Jun. Lignitiū illud celebre & nobile Silesiarum propugnaculū, nulli nisi Metropoli *Uracialavia* cedens, a vita Principum Ligiiorum sedes, soli fertilitate, ædificiorum concinnitate, litteratorum ubertate cōmendatissima urbs. Parentes optimæ familiæ & conditionis. Pater Stanislaus Raupach, pietatis venerandus, civis honoratus mercator spectatus. Mater Ursula ex stirpe Grilliorum & Jenschiorū laudabili, scœmina lectissima. Quo verò feret animo Genitor filii amantissimq; lenex coemptionalis, septuagenarius tā triste hoc filii sui discidiū? Matris plangentis clamor feriet aurea sidera, frater præsens uberrimo lacrumarum imbre jacturam tantam deplorat, cœlumq; ad vindictam adclamat. Vix lamentis ex conflagratione urbis ac proprii ædificii em-

plastrum

plastrum adhibitum: ecce novum vulnus! Ad eò nulla calamitas sola, nec fortuna semel hominibus obesse contenta est. Niobe filios suos ab Apolline interfectos tantis dessevit lacrumis, ut in scopulum dirigerit. Tomiris Scytharum Regina filium suum ad eò dilexit, ut non prius sibi constiterit, quam mortem ejus ulta sit severissimè, comprehensum enim interfectorem Cyrum cruci affixit, teste historico, & ablatum mortui caput demersit in utrem humano cruore refertum, hisce insultans verbis: Filii mei sanguinem hausisti, meum sitisti, at ego te cruore satiabo. Quare & MELANTHON omnis eruditæ doctrinæ in tota Germania parens & instaurator fertur dixisse: nullam calamitatem post sensum iræ divinæ esse majorem, quam quæ oriretur ex infortunio liberorum. Et hic dolor eò major erit, quò magis ipsum amasse dicitur præ reliquis ad alia vitæ genera vocatis, cum & spem amplam conceperat, ipsum non futurum convitium domus & familiæ, propter ingenii dexteritatē, quæ luxit initidò, in Schola LIGIA patria, ubi fundamenta artium posuit prima, præeuntibus & ducentibus viris clarissimis, artificibus formandæ juventutis dexterrimis, M. NICOLAO LUDOVICO, & BARTHOLOMÆO KERNIO, quorum hic viret, ille floruit. Deinde in augustum URATISLAVIENSIVM Gymnasium se contulit, inde in illustre BETHANIENSIVM. Tandem ante annum nostram in Academiam tanquam ad mercaturam bonarum artium devenit, & non pridem ex ædibus paternis redux, solidius eruditionis culmen extructurus. In hac tùm publica tùm privata Theologica collegia frequentavit. Quia verò autumabat naturali inclinatione ductus solitudinem homini venenum, consortium verò quasi antidotum & basin esse vitæ, sapiusculè amicorum congressibus adhæsit, qui interdum si sint nimij, multum navi pariunt & maculæ inficientis. Omnium enim rerum modum esse oportet. PIETAS, quæ est vertex & murex omnium virtutum, ipsi non minus fuit curæ, quod exinde liquet, quod illo ipso diè MELLEI NOSTRI THEOLOGI concionibus Pericleis interfuerit & paucis diebus elapsis ante fatalem metam dixerit: se sollicitam inire rationem de Sactofanctæ cœna DOMINICA usurpanda. Quare hic nullus calculus damnatorius præcipitandus, nobis nullus scrupulus de ipsius salute. Plenissima enim consolationis sententia est, ANSHELMI: non nocet bonis, si occidantur aut violenta morte rapiantur.

piantur. Extremus restat actus ritus nempe exequialis cadaveri parandus. Vestrum erit, CIVES ACADEMICI, tum ex nobilissimis nati, tum ad nobilissima quæque destinati, non tantum ingemiscere in tam luctuoso casu, fatorum vices trutinare: sed & honorifico comitatu funus ex ædibus BALTHASARI Franc/civis & tinctoris, exportandum in commune CHRISTIANORVM dormitorium, adornare & vos singulis momentis præparare ad normam vitæ æternæ, quæ omnes rectè viventes, piè expirantes expectat postliminio. Quod facietis tantò luculentius & lubentius: quantò evidentius vestrum testati estis dolorem. Interim statuetis nobis & monentibus & urgentibus; pro summo & paterno, quo vos prosequimur adfectu, opera Aphrodisia, Heluationes Milonianas, grassationes Cyclopicas exagitationumque nocturnarum tempestates turbulentas esse retia, quibus ille

Mille opifex scelerum fraudisq; repertor & auctor,
ANIMAS CAPERE, CORPVS PERDERE satagat totis viribus. Cogitabitis momentosam Mimi sententiam:

Cuius accidere potest, quod cuiquam.
Maximè illam Divi GREGORII veluti ex Apollinis Pythij oraculo editam, imis animi reponetis sensibus:

MOMENTANEVM QVOD DELECTAT, ÆTERNVM QVOD CRVCIAT. Hoc itaque ô iuventus florentissima exemplum triste intuita cautior esto, prava sodalitia relinquito, honestè & modestè vivito.

Laudabilius enim Mortem ad nos potius transire quam ad illam nos, cumque incertissimum sit, quo illa quemque loco expectet, vos eam MILITES PALLADII omni loco expectate!

Felix quem faciunt aliena pericula cautum!

Vindice FATO.



XLVII

RECTOR
ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ

M. TOBIAS MANN
GIRUS, LOGICÆ
PROFESSOR
PUBLICUS

Ad Exsequias

Quas
Doctissimo & Ornatissimo
juveni

CHRISTIANO GERST
MANN LEGVM
STUDIOSO

Mater maestissima
apparat

Omnes Reipublicæ Lite

rariæ Cives invitat
a. d. IIX. id: Mart.
Anno Salutis
CIC ID CX IIX.



Typis
NICOLAI VOLTZII.

